



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. V. De quarto, & quinto effectu, qui ferunt Suspensionem ab officio, &  
Beneficio, & inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

est uti aqua lustrali, ut ad Dei privatum cultum, & ad peccatorum dolorem excitetur: Quare non potest excommunicatus ejici e templo Sacro, nisi quando divina officia celebrantur. Circa indulgentias patet, quod non possit eas lucrari; cum a participatione thesauri Ecclesiae sit exclusus.

IV. Quæritur secundo; Quam pœnam incurrat Sacerdos celebrans coram excommunicato vitando?

Respondeo, incurrere solum excommunicationem minorem; si tamen Sacerdos sit exemptus a jurisdictione Ordinarii, incurrit etiam Interdictum ab ingressu Ecclesiae, ut notat Covarr. in Gap. *Alma Mater*, 1. part. §. 6. Irregularitas certe non incurritur, (ut notat Leand., & Pal. disp. 2. punct. 9.) nisi a Sacerdote excommunicato, qui auctoritate sua faceret alium coram se celebrare; quia per fictionem juris celebrare ipse censetur.

V. Circa Ecclesiasticam sepulturam certum est, excommunicatum vitandum sepeliri non posse in templo, nec in cœmeterio; imo neque in loco, ubi consuevit dici Missa, quamvis nulla alia benedictione sacro, ut notat Suar. sect. 4.; Unde graviter peccaret, qui excommunicatum vitandum in loco sacro sepeliret ante absolutionem, saltem in foro Sacramentali datam, etiamsi dederit ante mortem signa contritionis: Imo excommunicationem majorem incurreret, ex *Clement. I. de sepult.*, & Ecclesia remaneret polluta. Peccaret pariter, si Psalmos concineret, crucem deferret, &c. dum cadaver excommunicati vitandi deferretur ad sepulturam; quia hæc quædam communicatio est cum excommunicato, & quidam honor prohibitus illi dari. Communiter tamen Doctores docent contra Avil., hæc duntaxat in non toleratis locum habere; unde potest excommunicatus toleratus in Templo

sepeliri.

VI. Dubium est; Num excommunicationem majorem latam contra sepelientes excommunicatos in loco Sacro incurrant solum hi, qui cadaver propriis manibus in sepulturam intrudunt, & terra obruunt, an etiam qui illud deferunt ad sepulturam, & pompam funebrem comitantur? Navar., Avil., Cajet. putant, solum incurri ab iis, qui propriis manibus sepeliunt, eo quod pœnæ sint striete interpretandæ: Suar. tamen, & Con. docent comprehendere etiam eos, qui sepulturam procurant; quia isti etiam dicuntur sepelire: Reginald., & Ugolin. volunt comprehendere etiam non impediētes; Sylvest. comprehendere comitantes. Prima sententia videtur probabilior, aliæ etiam probabiles.

#### ARTICULUS V.

De Quarto, & Quinto effectu, qui ferunt suspensionem ab officio, & Beneficio, & inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica.

- I. *Excommunicatus etiam toleratus privatur Beneficio post excommunicationem obituro, nec potest fructus illius facere suos, quamvis sua excommunicationis sit ignarus.*
- II. *Num privetur etiam fructibus Beneficii ante excommunicationem obituro?*
- III. *Num cujusvis Pensionis excommunicatus sit incapax?*
- IV. *Probabilius invalide Beneficium tempore excommunicationis accipitur, qui ad illud ante censuram fuerat electus.*
- V. *Collatio Beneficii facta tempore excommunicationis post absolutionem non revalidatur ipso facto.*
- VI. *Quod dictum est de Excommunicato, dicendum etiam est de Suspensio, ac de personaliter Interdicto.*



I. Diximus juxta quartum, & quintum effectum, Ecclesiasticas personas per excommunicationem suspendi ab Officio, & Beneficio; & quemcumque excommunicatum esse inhabilem, ut eligatur, aut ut alios eligat ad Beneficia Ecclesiastica.

Quaritur nunc primo; An excommunicatio privet excommunicatum Beneficio, & fructibus ejus?

Respondeo, convenire Doctores in hoc, quod non privet excommunicatum beneficio jam obtento ante excommunicationem, sed solum privet beneficio post excommunicationem obtinendo; cum reddat excommunicatum beneficii incapacem: Et ratio est, quia cum excommunicatus non possit officium, & munus suum exercere, debuit Ecclesia irritare collationem beneficii illi factam; siquidem beneficium est propter officium: Idque verum est non solum de excommunicato vitando, sed etiam de tolerato, ut docent Suar., Sayr., Pal. disp. 2. punct. 8. contra Hurt. diff. 2. Etenim per *Extravag. Ad evitanda*, qua ceteris fidelibus permittitur communicare cum excommunicato tolerato, non intenditur ullus favor excommunicati, nec permittitur illi vicissim se in communicationem fidelium ingerere; atque adeo nec beneficium recipere, quod hujusmodi communicationem requirit. Et propter hanc rationem non solum irrita est collatio beneficii facta excommunicato, sed etiam electio, presentatio, nominatio, necnon resignatio, ac permutatio beneficii; cum prohibita sit excommunicato omnis communicatio cum fidelibus: Et quia nulliter beneficium reciperet, ideo ejus fructus non faceret suos, ut notant communiter cum Hurt., & Suar. disp. 13. sect. 1.; qui etiam docet propter eandem rationem excommunicatum inhabilem esse ad quascumque Ecclesiasti-

cas dignitates præter Papalem.

Addit etiam Con. disp. 14. dub. 9., quod acquisitio beneficii sit nulla, quamvis excommunicatus suæ excommunicationis sit ignarus. Et ratio est, quia quamvis ignorantia censura tollat culpam in acceptante beneficium, non tollit tamen inhabilitatem ad illud, ut communiter docent contra Navar. Utrum autem non solum passiva, sed etiam activa electio ad beneficia sit irrita? Dicemus art. sequent., esse irritam, si fiat ab excommunicato vitando, secus si a tolerato.

II. Dubium est; An qui incidit in excommunicationem, pro tempore, quo durat excommunicatio, privetur etiam fructibus beneficii ante excommunicationem obtenti?

Respondeo, tres in eo esse sententias; Prima affirmativa Suar., Tolet., Covarr. ex cap. *Pastoralis, de Appellat.*; ubi dicitur, quod *Proventus Ecclesiastici merito illi subtrahuntur, cui Ecclesia communicatio denegatur*. Secunda negativa Avil. cap. 6. disp. 6., Vasq. de Beneficiis cap. 3., quia talis poena nullo jure habetur expressa; etenim in cap. citat. *Pastoralis* sermo est de subtractione faciendâ a Judice per sententiam, non vero de privatione proventuum, quæ per ipsammet excommunicationem fiat. Tertia sententia est Navar. in Manual. cap. 25., ubi docet, in eo tantum casu privari fructibus beneficii excommunicatum, in quo negligens sit in procuranda absolutione, ita ut per ipsum stet, ne absolvatur.

Secunda opinio negativa videtur probabilior; Quare solum post Judicis sententiam fructibus beneficii spoliari debet; si tamen officium suum præstet, videlicet si Canonicus in occulta excommunicatione persistens choro intersit, si Cappellanus missas perfolvat, Parochus Sacramenta administret: Secus vero si culpabiliter offi-



officium suum omittat; tunc enim cum beneficium sit propter officium, ex naturali lege iustitiae ad restitutionem fructuum esset obligatus; non secus ac non excommunicatus, si ea, quae officii sui sunt, non praestet, ut notat Con. dub. 9., Bonac. Valsq. Unde fit, quod cum missa Cappellani excommunicati non proferat ei, cui applicatur, quoad valorem, quem habet ab Ecclesia, non potest talis Cappellanus celebrans retinere omnes fructus sacrificii; cum non adimpleat adaequate officium suum, ut recte observat idem Bonac. quaest. 2. punct. 4.

III. Quaeritur secundo; Utrum possit conferri excommunicato Pensio?

Respondeo ex Laym. part. 2. cap. 2., triplicem esse pensionem. Prima est spiritualis, quae confertur ob ministerium spirituale, puta Concionatori, Coadjutori, Parocho, &c. Secunda est temporalis, seu laica, quae etiam laicis conferri potest ob temporale aliquod obsequium praestitum, Verbi gratia, quia armis, aut alia ratione ipse pensionarius, aut majores sui Ecclesiae jura defenderunt. Tertia dicitur mixta, quae licet non conferatur ob ministerium spirituale, Clericis dumtaxat tamen conferri potest, sicut pensio spiritualis; confertur enim pensio mixta, verbi gratia Pastori, aut Curato seni, quando beneficium ipsius, cui nequit amplius infervere, datur alteri; Confertur etiam resignanti, aut permutanti beneficium.

His explicatis; Nonnulli apud Dian. in Summ. V. *Beneficium* cum Praeposito, Filliuc., & aliis docent, excommunicatum cujusvis pensionis esse capacem; quia solum incapax est beneficium; pensiones autem quamvis sint jus ad percipiendos fructus ex alieno beneficio, non sunt tamen in rigore beneficia; & idcirco pensionarius non tenetur recitare officium divinum, sed solum officium B. Virginis, ubi est

recepta constitutio Pii V.; ergo excommunicatus non est incapax pensionis. Alii vero docent, nullius pensionis esse capacem, propter styllum Romanae Curiae, & praxim Datariae; Communius tamen, & probabilius docent, pensionis spiritualis esse omnino incapax; quia sicut beneficium, ita pensio spiritualis datur propter officium spirituale; cum autem excommunicatus officium spirituale praestare non possit, nec potest tali pensione gaudere: Contra vero pensionis laicalis esse capacem, cum haec habeat rationem stipendii temporalis. Pensionis mixtae majus dubium est, an sit capax? Con. disp. 14. dub. 9. negat esse capacem; quia hujusmodi pensiones beneficiis succedunt; & ideo beneficiorum naturam debent imitari. Probabilius tamen est, quod sit capax tam excommunicatus, quam irregularis, propter declarationem Cardinalium adductam a Laym. loc. cit., & Suar. disp. 44.

IV. Quaeritur tertio; An electus ad beneficium ante excommunicationem, si tempore excommunicationis illud acceperit, valide acceperit?

Respondeo, Azor., Covar., Sayr., Garz. affirmare; quia jura ea solum irritant, per quae acquiritur jus ad beneficia; sed jus ad beneficia non acquiritur per acceptationem, sed solum per collationem beneficium; ergo sola acceptatio beneficium facta tempore excommunicationis non irritatur. Minor probatur, quia nemo sibi ipsi jus confert; ergo, cum acceptatio sit ab ipso acceptante, non potest acceptans per acceptationem suam acquirere jus ad beneficia; quare acceptatio est solum conditio essentialiter requisita, ut collatio beneficium tribuat jus ei, cui confertur.

Probabilius tamen Suar., Valsq., Hurt. disp. 6. diff. 3., Con. loc. cit. negant; quia cum Sacri Canonibus de-



clarent excommunicatum esse inhabilem ad acquirendum jus ad beneficia; & cum tale jus acquiratur per collationem, & acceptationem simul, sequitur, quod utraque pariter irritetur: Quamvis enim nemo sibi ipsi jus conferat; potest tamen per proprium actum acquiri jus in re; sicut acquiritur a donatario per acceptationem rei donata. Consonat quod dicitur in cap. *Si tibi absenti* 17., de *Præbendis*, videlicet per collationem solum acquiri jus ad rem; per acceptationem vero acquiri jus in re; ergo non acquiritur jus adæquatum per solam collationem, sed etiam per acceptationem; & consequenter cum jura irritent id, per quod acquiritur jus ad beneficia, tam collationem, quam acceptationem irritant?

V. Quæritur quarto; Utrum collatio beneficii facta alicui tempore excommunicationis statim post absolutionem revalidetur, an vero opus sit nova collatione post absolutionem, ut jus ad beneficium acquiratur?

Respondeo, tres esse hac in re Doctorum sententias. Prima Navar., & aliorum apud Sanch. de *matrim. disp.* 7. absolute affirmat revalidari; tum quia talis collatio valuit ex parte conferentis, & solum fuit invalida ex parte recipientis ob ipsius inhabilitatem: atqui per absolutionem tollitur inhabilitas; ergo collatio per absolutionem fit adæquate valida: Tum etiam quia voluntas collatoris censetur semper perseverare, donec revocetur; ergo cum etiam post absolutionem moraliter perseveret, non requiritur nova collatio, ut jus ad beneficium post absolutionem acquiratur.

Secunda sententia Panormit. apud eundem Sanch. docet, valere collationem positam absolutione, si Collator noverat vitium Collatarii; etenim cum in tali casu non censetur velle conferre invalide beneficium, cense-

tur illud conferre pro eo statu, in quo Collatarius non est inhabilis.

Tertia demum communissima cum Con. dub. 9., Pal., Hurt. disp. 6. diff. 3. tenet, nunquam revalidari priorem collationem; cum enim ab initio fuerit nulla, nequit per voluntatem conferentis quantumvis perseverantem fieri valida, nam solum perseverat voluntas illa, quæ ab initio fuit nulla; atque adeo sicut initio nihil effecit ob incapacitatem subjecti, ita nihil tunc potest efficere, quamvis subjectum sit capax.

Neque dicas; Per absolutionem tolli inhabilitatem subjecti; ergo collatio validatur: Etenim ad valorem collationis nihil aliud requiritur, quam habitus subjecti, quæ post absolutionem jam habetur.

Nam concessio antecedente, nego consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens; Ad valorem collationis, quæ de novo fiat, tantum requiritur habitus subjecti, concedo; ad valorem collationis factæ tempore inhabilitatis, nego antecedens, & consequentiam.

VI. Quæ diximus de excommunicato quoad imperationem beneficii æque militant de suspensio, & de personaliter interdicto, ut observant Azor., Ugolin., Pal. disp. 3. punct. 10. ex Gloss. cap. *Dilectus*, de *Consuetudine*. Ratio est, quia ideo collatio beneficii facta excommunicato irritatur, quia hic incapax est officium exercendi; atqui eandem incapacitatem habet suspensus, & personaliter interdictus; ergo idem de his omnibus hac in re sentiendum.